






1928 K. 944  
DE  
LITTERIS DVLCI SENECTVTIS  
LENIMINE  
RECTORI ACADEMIAE  
MAGNIFICO  
D. DANIELI GVILIELMO  
TRILLERO  
PATRI SVO VENERABILI  
IPSO  
DIE NATALI OCTOGESIMO PRIMO  
FAVSTO  
ATQVE OPPORTVNO SIDERE  
REDEVNTE  
FAVCA IN IPSIVS HONOREM DISSERIT  
FILIVS OBSEQUENTISSIMVS  
CAROLVS FRIDERICVS TRILLERVS  
IVRIS VTRIVSQUE CVLTOR.

Vitembergae d. X. Februarii MDCCCLXXVI.

LITTERIS CAR. CHRIST. DÜRRIL.

1776





§. I.

*Introdu<sup>tio</sup>.*

**Q**uanquam omnia officia sancte seruanda sunt; illa tamen, quae ex pietate, ac reuerentia proficiscuntur, non esse violanda, ac mortalibus conuenientissima, quis est sane, quem haec fugiant? Iure enim exigi possunt, et qui ea praestare recusat, ille in vitium illud horrendum, inhumanum, et apud veteres morte expiandum, ingrati nimirum animi incurrere pericitatur. Piam obseruantiam vero non solum debemus personis, sed et rebus singulari solennitate ac felicitate nobilioribus. Inter quas etiam hodiernam

diem refero, mihi ob redditum prosperrimum  
gratam, ob festiuitatem splendidam, ob gau-  
dium vero prae reliquis diebus suauorem.  
Annua enim lux, VENERANDE PARENTES,  
celebranda redit, quam principem vitae  
Tuae habes. Nota censorum seuerissima  
dignus essem, nisi illam pie colerem ac cele-  
brarem. Quam grauiter officia illa laede-  
rem, quae filius patri, iuuenis seni, ac dis-  
cens docenti debet, si hunc diem silentio  
praeterireni. Hinc, ne ingratus videar,  
honoris ac meritis Tuis pro ingenio valde exi-  
guo hunc dedico libellum tanquam testimoni-  
um laetitiae, qua maxime perfundor. Equi-  
dem scio, Te has doctrinae tenues primis  
pro more beneuole esse accepturum, ac de  
iis candide iudicaturum. Eo facilius veniam  
sperare possum, quia non dubitas me omnia  
marte meo elaborare, nec ope, neque penna  
daedalea niti. Interim satis habebo, si de me  
illud iudicium fertur, quod <sup>a)</sup> OVIDIUS de  
Phaethonte illo infelici auriga tulit.

*Quem si non tenuit, magnis tamen excidit affl.*

§. 2.

<sup>a)</sup> Lib. Metam. 2. v. 328.

*Tractationis argumentum.*

Oleum et operam me perditurum esse, crederem, si de litterarum amoenitate, utilitate, ac campo, quo se extendunt, latissimo, verba facerem. Quilibet enim ex <sup>b)</sup> HIPPOCRATE, Medicorum patre, memoria tenet, vitam esse breuem, artem vero longam. Potius mihi ostendere incumbit, in quo senibus solatio, laborumque dulci leuamento esse possint <sup>c).</sup> Cicero omnes bonarum artium dotes praedicare ac comprehendere videtur, si dicit: haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium et solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nebiscum, peregrinantur, rustificantur. Interim instituto meo ansam praebuit, illa POMPONII ICti praestantissimi sententia, quam in L. 70. π. de Fideicomm. libert. habet: οὐ τὸν ἔτερον πόδα ἐν τῇ σοὶ ἔχω,

<sup>b)</sup> Aph. I. sectio bios βρεγχύς ή δι τίχην μάκην, eandem sententiam Zenonis fuisse STOBAEVS de vita breui p. 534. tradit.

<sup>c)</sup> Pro Arch. Post. cap. 7.

προσμαθεῖν τιβελούμεν; et si alterum pedem in tumulo haberem, aliquid addiscere non desisterem. Alii etiam vertunt, et si alterum pedem in cymba Charontis haberem, quo pertinet locus <sup>d)</sup> LUCIANI, ubi Damasias, athleta, ad illam transuehendus venerat, Mercurius vero eum repellebat, quia vasto corpore erat, verens, ne scapha submergeretur statim, si solum alterum pedem imponeret, verba sunt: ὥστε απέδυθι εὐταῖς ἐπικαταδυτεῖς τὸ σκάφος τὸν ἔτερον πόδα ὑπερθεῖς μόνον. Caeterum <sup>e)</sup> ANTONIVS AVGVSTINV S eandem sententiam assert eamque tam Iuliani quam Pomponii fuisse docet; graecam vero, pergit, veteris Philosophi esse arbitror, cui similem LUCIANVS nescio quo libro resert. Reperitur vero in Dialog. Hermotimi p. 565. qui locus vero sententiae meae contrarius esse videtur. Lucianus enim Hermotimum adhuc philosophiam tractantem vituperat, cum tamen alterum pedem in

tumulo

<sup>d)</sup> In Dialog. Charont. et Mercur. p. 279. et in Apolog. pro Merc. cond. p. 481. eadem phrasis occurrit. οὗτος πόδας ἐν τῷ ποτὶ φυγεῖς ἔχειται.

<sup>e)</sup> In Emendat. et opinionibus. Lib. I. c. 8. p. 50.

tumulo haberet, his enim insurgit: κοὶ τὸν  
ἐρεγον πόδα ἐν τῷ σορῷ ἔχων, εἰ μὴ τι ἐστὶ αὐτὸν  
βίον περογυμνώζεις σεαυτὸν.

## §. 3.

*Pomponii sententiae explicatio.*

Phrasis illa alterum pedem in tumulo habere, quid notet, et cur de senibus dicatur, quis intelligit. Senes enim singuntur morti proximi, hinc et Maturus idem est ac Senex, vti HEINSIVS in not: ad Albinou. v. 447. obseruat. Interim experientia fatis docet, mortem aequo pede senum ac iuuenium pertere tabernas, senes enim sponte naturae cedunt, iuuehes vero inuiti, ac reluctante natura. Secundum naturae ordinem tamen adolescens diutius sperare potest se victurum, quod senex nequit, quia iam vixit, et ob defectum virium ipsi mors expectanda semper est. Quod etiam in virtutia et onera senectutis refertur, antecepita opinione, quam <sup>f)</sup> CICERO optime reiecit. Pari modo <sup>g)</sup> PLV-

f) In libello de senect.

g) In lib. de fortuna p. 136.

TARCHVS Caesarem Tiberium haec dicentem refutat: ὡς αὐτὴ οὐπερέξεμοντα γέγονος ἔτη,  
 καὶ περούνων τῷ ιατρῷ χεῖσα, καταγέλασος ἐσι.  
 Putabat enim Tiberius senem sexagenarium esse deridendum, si medico manum porrigeret. Quo nihil aliud eum dixisse arbitror, quam mortis metum senectuti imminentem, vitaeque spem exiguum. Cui<sup>h</sup>) STOBAEVS accedit, dicens: τό γε ἀληθίατον, πολὺν τὸν, τοῖς γέγονοιν βίον αὐτό τοῦτο ἐσιν  
 Σαύρα Φόβος. Quod enim miserrimam senectuti vitam parit, est, mortis metus. Sed haec, vti iam monui, senectutis sunt incommoda minima. Optimo iure vero Pomponius illa praeclera sententia vti poterat: erat enim iam aetate prouectus, viiipse fatetur: ego enim, ait, in septuagesimum et octauum annum discendi cupiditate ductus. Exemplo ergo suo satis probauit, senectutem solida litterarum cognitione leniri posse. Ille enim in dies doctrinam ornare ardebat, et ICtus erat elegans, qui non formulas solas cantare, et cruda in fori strepitum studia propellere didicerat.

§. 4.

\*) Serm. 116. p. 596.

§. 4.

Litterarum dulcedo quam senectuti praebet,  
proponitur.

Nil dicam de necessitate litteras per totam vitam serio perscrutandi, hoc enim, Socrate duce, scimus, nos nihil scire. Mihi tantummodo colligenda sunt illarum commodity, solatia ac fomenta, quae senectuti afferuant. Senes enim fugiunt strepitus, conuicia atque epulas, vitamque intra priuatos parietes securi traducere cupiunt. Qui vero nihil agit, ille sibi ipsi molestus est, et reipublicae inutile membrum. *Otium enim, factente SENECA, sine litteris mors est, viuique hominis sepultura.* Hinc senes legendo, meditando, ac scribendo optime tempus fallere possunt. Senectus enim ipsa dicitur morbus, et molesta aliis, sibi aerumnosa singitur. Quas vero aerumnas ille eludere potest, qui disciplinis tam continentem in aetatis flore operam nauauit, ut ipsum tempore brumae ac senectutis delectare possint. Vere dixit <sup>i)</sup> STOBAEV<sup>S</sup>, οὐν ἐσιν ἐδὲν αἰτυχίας αἰνθεωπίνης

<sup>i)</sup> Serm. 58. pro artibus p. 307.

παρεμπόθιον γλυκύτερον ἐν βίῳ τέχνης. Non est  
 ullum humani infortunii solatium dulcius in vita  
 quam ars. Quibus etiam assentitur CICERO  
 de senect. Aptissima omnino, ait, sunt arma se-  
 necutis artes, ac exercitationes virtutum. Illi enim  
 non sentire senectutem videntur, qui haec  
 studia in mentem reuocant, quae olim vti-  
 lia, nunc iucunda ipsis fiunt. Occultas enim  
 rationes melius perspiciunt, ita ut amoena  
 mentem alant, ac exhilarant, vtilia eidem  
 pro sint. Quid enim iucundius senectute si pata  
 studiis iuuentutis CICERO loc. cit. confirmat.  
 Senes certe, si animum doctrinae dedicant,  
 prudenter temporis inferuiunt, indeque ipsis  
 laus vitae bene actae, ac grata ante parro-  
 rum bonorum memoria nascitur. Marcus  
 Imperator dicere amabat: οὐλὸν αὖτε γνωστον  
 τι μανθάνειν, decorum est et seni discere! cf. SVI-  
 DAE Lex. per Küsterum Tom. II. p. 501. Se-  
 nex enim laudator bene acti temporis esse de-  
 bet. Fac etiam, aliquem fortasse centum  
 annos numerare, hoc est beneficium solius  
 naturae. Non rugae, non canities, non an-  
 ni senectutem nobilitant, sed recta temporis  
 collo-

collocatio. Qui enim tempore male vtun-  
tur, illi non viuere intelliguntur. Quod  
eleganter <sup>k)</sup> SENECA his exprimit: *longa est*  
*vita, si plena est, per plenam ita actam intelli-*  
*git, ut illius rationem reddere possit officiis*  
*explendis iustissimam.* De eo, qui annos per  
inertiam transegit, pergit: *non vixit ille, sed*  
*in vita moratus est, non soro mortuus est, sed diu.*  
Vere doctus nunquam moritur, quod viuitur  
ingenio, caetera mors sibi vindicat. Nonne  
Cicero ac Virgilius, aliquae plures adhuc vi-  
uunt, licet iam diu decesserint. Monumenta  
enim fatiscent, ac iniuria temporis diminu-  
untur, ut Poeta cecinit:

*Mors etiam satis marmoribusque venit.*

Gloria vero per artium culturam quaesita non  
deletur. Qui in scriptis viuit, ille sibi mo-  
numenta aere perenniora imo nullis tempo-  
rum iniuriis conuellenda, erigit, ac memo-  
ria eius sancte colitur.

§. 5.

<sup>k)</sup> cf. Epist. 93.

## §. 5.

*Exempla quorundam virorum.*

Maximopere laudandos esse veteres, ob  
fauorem, quem artibus ingenuis tribuerunt,  
et ob industriam, quam illis addiscendis sa-  
crarunt. Illi enim si conuiuiis intererant,  
non super rebus anxiis, tortuosis, ac ut vul-  
go fit, domesticis sermones instituebant, nec  
alios perstringendo horas perdebant, sed de  
rebus differebant, ex quibus, vti <sup>1)</sup> GELIUS  
praecipit, *ingenium nostrum venustius fiat aciu-  
cundius.* Nullum ergo dubium est, quin ve-  
teres, litterarum dulcedine capti, totum vi-  
tae tempus Musis consecrarent. Si vero omnes  
illos viros in medium producere vellem, qui  
senili aetate memoriam scriptis propagarunt,  
ego transgrederer fines, quibus includor, an-  
gustissimos, sufficiat quosdam tantum nomina-  
re, ne lectoribus aequis molestus fiam. In-  
ter omnes constat, Solonem vt et Cicerone  
gloriatos fuisse, se quotidie aliquid addiscen-  
tes factos esse. Sophocles, teste <sup>2)</sup> CICE-  
RONE,

<sup>1)</sup> Noct. att. L. 13. c. II. vt alia loca taceam.

<sup>2)</sup> De senect. p. III.

RONE, ad summam senectutem tragoeidas scripsit, Ennius vero, narrante<sup>u</sup>) GELLIO, duodecimum annalem. De Aristobulo Cässandrensi <sup>o</sup>) LUCIANVS refert, eum quarto et octogesimo anno historiam exarasse. Notum est, Platonem extrema senectute scripsisse, et Socratem quarto et nonagesimo anno librum edidisse, qui dicitur panathenaicus, vti tradit PLUTARCHVS de vitis X. oratorum

P. 837.

### §. 6.

#### *Instituti applicatio.*

Exemplis antiquorum temporum prolati, restat, vt recentioris aeu i senem fistam, litteris adhuc fauentem, vii illas in iuventute maxima industria coluit. Hinc, si non festis in propria causa esse videor, optimo iure TE, PATER VENERAND E, nominandum esse censeo. Non dubito, fore plerosque,

qui

<sup>u</sup>) Nest. att. L. 17. c. 21.

<sup>o</sup>) De Macrobii p. 474. vbi plura exempla legi mentionur.

qui mihi plaudant opinionemque defendant,  
te enim nemo vñquam solum reperit, sed a  
Musis cinctum. Exteris vero notus es scri-  
ptis, quibus memoria T V A floret. Te enim  
tanquam senem venerantur, ingenii alacri-  
tate, iudicio, ac doctrina excellentem. Sed  
artes pulcrae senectutem Tuam mulcent,  
aç laborum sunt leuamentum gratissimum.  
Praeterea incommoda senilibus annis min-  
tantia ac propria non sentis. Paucis sane  
Deus tale beneficium indulget. Pierique  
enim senes sunt morosi, inquieti, seueri, in  
te vero grauitas comitati coniuncta conspi-  
citur. Senectus enim mentis vires non de-  
minuit, sed exercitatione leuauit. Quod de  
se CICERO refert, me non eneruauit, nec affixit  
senectus, nec curia vires meas desiderat, id etiam  
de te dici potest. Tu enim iam magna cum  
laude Musarum praesides choro, spartamque,  
quam natus es, ornas. Liquet itaque se-  
nem rem publicam administrare posse, quia  
experientia pro eo militat. Quae <sup>p)</sup> PLV-

<sup>p)</sup> In libri an seni resp. gerenda p. 784.

TARCHVS exemplo Catonis senis octogenarii, διην̄ ἀπολογουμένως causam dicentis compribat, vbi plura exempla cumulat, cur seni res publicae committendae sint, ut quae animo administrantur, non corpore. Sed haec, nem tam longus sim, sufficient. Nunc iam pietas exigit, ut Deum, qui mihi huius diei gaudia, atque otia fecit, venerer, illiusque beneficia sancta ac grauissima mente tollam ac colam. TE enim in Tuorum solarium ac praesidium, atque in orbis litterati decus huc usque saluum praestitit, ac viribus, ut ita dicam, iuuenilibus exornauit. Non immerito de TE id quoque, quod filius <sup>q)</sup> Ausonii de patre suo tradit, praedicare possum:

*Nonaginta annos baculo sine, corpore toto*

*Exegit cunctis integer officiis.*

Interim nihil magis in votis habeo, quam  
ut Numen, cuius diuinitatem hodie supplex  
adoro,

<sup>q)</sup> cf. AVSONII Eidylia, et quidem epicedion in partem pag. 56.

adoro, TE porro florere iubeat. Saepius mihi illa dies arrideat, quae hodie rediit felicissima. Quae quoties celebranda effulsebit, auguris apud <sup>r)</sup> VIRGILIVM viar grati ominis verbis:

*Hoc erat, hoc votis (inquit) quod saepe petui  
Accipio, radiat lux adamata mihi.*

<sup>r)</sup> Aeneid. L. 12. v. 259.



**ULB Halle**  
004 057 996

3



v278

56



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

1928 K 944  
L 515  
DE  
LITTERIS DVLCI SENECTVTIS  
LENIMINE  
RECTORI ACADEMIAE  
MAGNIFICO  
D. DANIELI GVILIELMO  
TRILLERO  
PATRI SVO VENERABILI  
I P S O  
DIE NATALI OCTOGESIMO PRIMO  
F A V S T O  
ATQVE OPPORTVNO SIDERE  
REDEVNTE  
FAVCA IN IPSIVS HONOREM DISSERIT  
FILIVS OBSEQUENTISSIMVS  
CAROLVS FRIDERICVS TRILLERV~~S~~  
IVRIS VTRIVSQVE CVTOR.

Vitembergae d. X. Februarii MDCCCLXXVI.

LITTERIS CAR. CHRIST. DÜRRII.

1776